

P V I S

1 6 1 8



- I. *Oratio de Casu Mirabili ad Academiæ.*
- II. *Simonis Steini Dialogi duo Græcè conscripti.*
- III. *Oratio dua: una de Consensu Theologiæ Lutheri cum Cetera Epicuri, Hungeri Pontifici: altera Schilteri prioris Apologiam continens.*
- IV. *Pietri theses de Peccato Originali.*
- V. *Samuelis Porisii de Invidia.*
- VI. *Orationes Septem à Johanne Pessingero et Henrico Salmutho in commenda Rectorum Lipsiensium habita.*
- VII. *Oratio Funeris de Augusto Saxonia Electore, Furmani.*
- VIII. *Oratio de Vita Christiana.*
- IX. *Oratio Chrysostomi de Exortio Dicenti Latine recitata.*
- X. *Davidis Viti de Justitia et Bonis Operibus.*
- XI. *Oratio Auleanti, quæ ad Dna. Fruchium Societatis Studiosos.*
- XII. *Tolam theses de Pelagianismo.*
- XIII. *Caschi oratio in actu Magistrum habita.*
- XIV. *Hutteri Laudatio Funeris Christiani II. Electoris Saxonie.*
- XV. *Episcopi Synopseos Myliana de Comœdia, Hispanica.*
- XVI. *Morti Vituperatio et Laudatio Cetera.*
- XVII. *Indicium obitum Conjugis D. Tassenloeyer.*
- XVIII. *Oratio M. Aemilii Porti in Actu Magistrum.*
- XIX. *De studiis Tevitarum Abstrusioribus.*
- XX. *Gedici de sensu sexus Mulieris.*
- XXI. *Hoffneri Oratio Funeris Lusero habita.*
- XXII. *Chytræ de Pœtâ animi tranquillitate.*

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

NJ 34

INDICIVM OBITVS
HONESTISSIMÆ
AC PRIMARIÆ FEMINÆ MA-
RIÆ HEILINÆ, CLARISSIMI ET
Doctissimi viri Casparis Taschenbergeri I. V. D.
& in illustri Gymnasio Seruestano Professo-
ris, conjugis, A. D. XXI. Octob. Iu-
liani Anno 1594. piè de-
functæ.

Addita sunt Epitaphia scripta
ab amicis,



SERVESTÆ
Excudebat Bonaventura Faber,
ANNO M. D. XCV.

W.

2

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SACHTEN-ANHALT

VERZEICHNIS
DER
BÜCHER
AN DER
UNIVERSITÄT
VON
MAGDEBURG



RECTOR
ILLVSTRIS GYMNASII
SII IN VETERVM SORA.

borum metropoli discipulis huius.

N Vdius quartus, hora circiter matutina sexta, vitam in his terris sine placido admodum & beato clausit pia & honesta matrona Maria, Clarissimi & Doctissimi viri Dn. Casparis Taschenbergeri I. V. D. & Gymnasij huius professoris dignissimi, atq; collegæ nostri honorandi coniunx, ex vitæ huius ærumnis ac miserijs ad τοῦ ἐν οὐρανοῖς πολιτεύματι ἡμῶν societatem atq; commercium euocata à Filio Dei, Domino & Seruatore nostro Christo Iesu. Ea cum Lipsiæ honestis nata esset parentibus, patre nimirum Andrea Heill, ciue & bibliopola illius vrbs primario, & matre Margarita, ex antiqua Schonbergerorum familia oriunda; atq; ab illis liberaliter educata; tum naturæ atq; indolis suæ, tum institutionis domesticæ præclarum edidit specimen toto vitæ suo curriculo; præcipuè verò in hac tertia ætatis suæ decade, qua coniunctissimè vixit cum marito dilectissimo, in coniugio suauis & fecundo. Quod enim Apostolus in mulieribus requirit, ut sint φίλανδροι ἢ φιλότεκνοι, hoc est, ut & maritos suos diligant, & caros habeant liberos, id totis illis annis decem vnice studio habuit. Nam paucis, post initum matrimonium, annis, & parentibus carissimis, & patriæ solo dulcissimo relicto, maritum secuta est primùm ad lares paternos profectum; hinc in Salinas Saxonicas euocatum, atq; inde in hanc urbem, quò ab illustrissimo ac generosissimo Principe ac Domino, Dn. Iohanne Georgio, Principe Anhaltino &c. pietatis & Musarum Mæcenate

A 2 beni-

4
benignissimo, ad munus docendi publicè institutiones iuris in hoc illustri gymnasio, honestissima vocatione accitus fuit, accersitum. In hac igitur peregrinatione (est autem secundum illud, quod Plato retulit, ὡς κοινόν, ἢ πρὸς πάντων θρυλλοῦμενον, παρεπιδημία τις ὁ βίβη) comes indiuidua adhæsit marito carissimo, singulari quadam φιλανδρείας affectione, imitata in hoc exemplum sanctissimarum matronarum, inter quas, honoris causa, Saram Abrahami patris credentium coniugem, primo loco nominari ab Apostolo scimus. Quàm verò φιλότεκνος fuerit, testatum fecit educatione sollicita & accurata, planèq; anxia liberorum, quos ex marito suscepit quaternos. Nemini enim obscurum est, nihil peræquè fuisse illi cordi, quàm vt tenella soboles cum primo lacte imbueretur studijs pietatis & bonorum morum; quòd persuasum sibi haberet, quod res est, optimam hanc à parentibus relinqui liberis hæreditatem, omnique patrimonio præstantiorem. Itaque, & precibus illi præire suis, pro Ecclesiæ, pro Reipub. pro mariti & propinquorum, suaque adeò & ipsorum salute atq; incolumitate, & ad ludum literarium sedulò eam ablegare, atq; cohortari; cum ipsa domi suæ esset magistra, & præceptionum salutarium informatione, & vitæ morumq; honestate, σώφρων, ἀγνή, οἰκουρὸς, ἀγαθή, ὑποτασσομένη τῷ ἰδίῳ ἀνδρὶ, secundum eiusdem Apostoli præceptum. Sed præsentis institutioni non est in huius chartæ angustias includere feminæ primariæ laudes; neq; tamen has qualescunq; silentio prætereundas duximus, ne virtutum præmio meritissimo eam defraudaremus. Inter quas præcipuè quoq; commemoratione digna est incredibilis patientia, quam probavit in hac quasi κατὰ σφοδρῆ, atq; vltimo vitæ suæ actu. Conflictata enim cum morbi diuturni molestia, feбри scilicet hæctica & putrida, quæ lenta tabe paulatim omnem teneri corpus

corpuseuli succum consumserunt, nullum animi impatientis signum, toto ægrotationis suæ tempore edidit, raros gemitus & querelas emisit, atq; eas duntaxat, quas invocatio Filij Dei ipsi expressit, testes animi oboedire Deo in quemcunq; euentum parati, & certa spe ac fiducia auxiliij ipsius nitentis: adeò vt decumbentem inuisentibus palàm fieret, ipsam animo æquissimo ac paratissimo ad mortem, occurrere amplexui redemptoris sui, euocantis eam ex hac vitæ statione, ad consuetudinem ac communionem Ecclesiæ coelestis. Atq; ita, misericordis & propitij Dei omnia modo numeroq; & pondere temperantis, vt Solomonis inquit sapientia, benigna voluntate & singulari prouidentia euenit, vt obitus dies, post annum ætatis ipsius trigesimum quartum, & dies pauculos, incideret in ipsum diem nuptiarum, quas ante decennium cum marito celebrauerat; vt haberet, secundum Græci epigrammatis sententiam, quam ita detorquere nobis liceat, ἀγαθὰς δύο ἄρας, τὴν μίαν ἐν θαλάμῳ, τὴν μίαν ἐν θανάτῳ: vel potius vtranq; ἐν θαλάμῳ, nupta scilicet nunc secundum sponso Ecclesiæ, Filio Dei, cui labe peccati per mortis ipsius expiationem deterfa, deducitur ἐνδοξος, μὴ ἔχουσα σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἢ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἀγία, καὶ ἁμωμῆ, vt Apostoli verba de Ecclesia, cuius ipsa membrum fuit permansuraq; est, huc accomodemus. Cum autem optimæ & honestissimæ huius matronæ funeri dicta sit hora à meridie secunda, qua ad locum sepulturæ corpus efferetur terrenum: hortamur & rogamus bonarum artium studiosos, vt exequias ipsius sua quoq; præsentia & frequentia cohonestent: atq; officium hoc humanitatis & pietatis haud grauatim præstent demortuæ ipsi, cuius memoria est ἐν ἐυλογία, tum hac συμπαθεία sua grati animi significationem declarent marito moestissimo, præceptori suo: simulq;

A 3

cum

6
in animis suis quisq; cogitent, ac meditentur fragilitatem & imbecillitatem vitæ humanæ; cuius exempla cum vnicuiq; nostrum sint proposita in quotidianis vitæ huius difficultatibus & aduersitatibus plurimis, casibusq; innumeris: tum inprimis illa in morte nobis omnibus ob oculos ponitur, quæ, vt poëta verissimè dixit, sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula. PP. A.D. XXIV. mens Octob. Iuliani, anno M.D. VIC.



MEMORIÆ LECTISS.

MATRONÆ MARIÆ, VIRI
CLARISS. ORNATISS. QVE DN.

Casparis Taschenbergeri I. V. Doct. &c.

coniugis suaviss. dilectiss.
mæq;.

CONDITUR hoc coniunx Taschenbergera sepulcro,
Cui natale dedit Lipsia clara solum.
Illic non humili prognatam stirpe parentum,
Annorum quinta mors necat hebdomada.
Tabifici lenta morbi contage peresam,
Hic vbi stant Sorabum culta Lycea solo.
Quò carum fuerat cum prole secuta maritum,
Casta laris custos, & comes arcta viæ.
Quæ thalamis nuptæ lux fulserat, illa supremum,
Post bis quinque hyemes, attulit orta diem;
Discidium viduiq; tori prolisq; dolenti,
Non mortis, cunctos quæ manet, excidium.

Qui

Qui legis hæc, hospes, Manes affare beatos:
Sic tua defuncti molliter ossa cubent.

Gregorius Bersmanus illustris gymn.
Rector & professor.

In tumulum
Eiusdem primariae feminae &c.

VRbs natale solum Philyre: sub luminis oras
MARGARIS, ANDREA, me, genitore, dedit:
Margaris antiquo fata stemmate SCHONBERGORVM,
At pater HEILORVM de genere ortus erat:
Qui iusta exercens varijs commercia libris,
Surgentis iuuat religionis opus.
Hi mihi MARIÆ posuerunt nomina, sacri
Paruula cum fontis pupa lauarer aqua.
Post educta probè, & plenis jam nubilis annis,
TASCHENBERGERI sum sociata toro
Casparis, egregium Virtutis propter & artis
Et recti studium quem Themis ipsa fouet.
Cuius amor mihi & in cineribus ossibus hæret,
Quem scio vel cineres nunc redamare meos.
In primis sacris studijs operata, verebar
Casta virum, fovi sedulitate Larem.
Lustra mihi septem Lachesis non neuerat, atra
Cum mihi præcidit stamina dira Atropos.
Quid dicam? THALAMI quæ lux mihi fulserat, hæc hæc,
Hæc eadem gelido me locat in TVMVLO.
Hæc igitur Tellus paruam quæ contegit urnam,
Nescio quid nostri corporis intus habet.

Optima

8
Optima pars nostri Libitinæ erepta cruentæ,
Auræ diuinæ particula, astra petit.
Tu, lector, tumulum æternis consperge amarantibus,
Et profer cineri debita verba meo.

Iohannes Theopoldus, illustris
scholæ Prorektor.



Gl 133

ULB Halle

3

002 178 605




Sb.

M.

KUGA






INDIC
TVS HON
AC PRIMAR
RIÆ HEILIN
Doctissimi viri Cal
& in illustri Gym
ris, conjugis
liani An

Addita fun



SEK
Excudebat
ANNO



W.

1
2

